





Q. D. B. V.

DISSERTATIO IVRIDICA

DE

ODIO ERGA DELATORES

SAEPENVMERO INIVSTO

QVAM

PRAESIDE

IOANNE CAROLO GEBHARDO
REINHARDO D.

IVRIS FEVDALIS IN ACADEMIA VITEMBERGENSI PRO-
FESSORE PVBLICO ET FACVLT. IVRID. IVDICIIQVE
PROVINCIALIS IN MARCH. LVSAT. INFERIORI
ASSESS. ORDIN. ILLIVSQVE H. T. DECANO

DIE. XVI. IANVAR. MDCCCLXXVI.

H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET


AUCTOR.

CAROLVS HENRICVS IACOBVS LOVV

DRESDENSIS.

VITEMBERGAE

LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A. TYPIIS.





ILLVSTRISSIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO DOMINO

HANS GOTTHELF

L. B. A. GLOBIG

DOMINO ZEHISTAE CET.

CONSILIARIO INTIMO SERENISSIMI

ELECTORIS SAXONIAE

AC

PRAESIDI SENATVS IN SAXONIA SACRA

S V M M I

STATORI LITERARVM SAPIENTISSIMO

HOC OBSEQVII PIGNVS

SVBIECTISSIMA FORMVLA

D. D. D.

CAROLVS HENRICVS IACOBVS LOW



ILLUSTRATIONES AUCTORITATIS

DOMINO DOMINO

HANS GOTTFRIED

LEA GLORIE

DOMINO DOMINO

CONSILIARIO IUSTINO SERENISSIMO

LEONORAE SACHSÆ

AD

FRASII SENATUS IN SAXONIA SACRA

M D C C C

STATI LIBERAE REPUBLICÆ

NOTI CENSURÆ


STREPTISSIMÆ FORMÆ

D. D. D.

CAROLUS HERTZ SACHSÆ



ILLVSTRISSIME AC EXCEL-
LENTISSIME DOMINE
MAECENAS INDVLGENTISSIME

 *Alios alia causa moueat, cur exiguas mae-
cenatibus offerre pagellas, non dubitent,
has quidem pertenuis ingenii mei primitias, vt
TIBI, Illustrissime Domine, consecrandas esse du-
cerem, summa erga TE pietas fecit.*

*Etenim quae TV, Patrone indulgentissime, mibi
literis operam nauanti per quinque fere annos con-
ferre beneficia dignatus es, ea sane sunt tanta, vt
insignem TVAM munificentiam, nisi saltim pu-
blice, qua maxime decet ueneratione, agnoscerem,
ingrati animi turpitudinem haud effugere possem.
Sed, ne TIBI nunquam non summis reipublicae
nego-*


negotiis occupato, longa TVORVM erga me meritorum commemoratione forte molestus fiam, dum maxime gratus esse velim, nihil addo, nisi, quod summa votorum est, vt supremum Numen TE vniuersae patriae bono diutissime reddere incolumem velit, ac splendidissimam TVAM domum semper seruare felicissimam. Ita vouet, qui et in posterum TVO sese munificentissimo patrocinio subiectissime commendatum optat

ILLVSTRISSIMI TVI NOMINIS

cliens deuotissimus
Carolus Henricus Iacobus Low.



§. I.

 Commune populi romani, immani tyrannorum
facuitia preffi, contraxerant odium delatores,
qui quod Tacitus ^{a)} refert, egentes et ignoti dum oc-
cultis libellis facuitiae Principis adreperent, mox cla-
rissimo cuique periculum fecere, potentiam apud vnum,
odium apud omnes adepti. Sic delatores idem Tacitus ^{b)}
genus hominum publico exitio repertum, et poenis nun-
quam satis vocat coercitum. Sic accusatoriam vitam vi-

A 2

uere

^{a)} Annalium I. Cap. LXXIV. ^{b)} Annalium IV. Cap. XXX.



uere et ad deferendos reos praemio duci, proximum esse latrocinio contendit Quintilianus ^c). Sic denique




Turba grauis paci placidaeque inimica quieti,

Quae semper miseris sollicitabat opes,

a Martiali ^d) appellantur. Non sane mirum est, Romanos hos nuntiatores tam acri prosequutos esse odio. Tantum enim erat innocentiae periculum, tantusque omnium occupauerat animos terror, ut congressus, colloquia, notae ignotaeque vitarentur aures, etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumspectarentur. Viuis coloribus depingit miseram anxiamque Romanorum vitam Plinius ^e). Vidimus inquit, delatorum iudicium, quasi latronum. Non solitudinem illi nouiter, sed templum, sed forum confederant, nulla testamenta secura, nullus status certus, non orbitas, non liberi proderunt, et alibi: perfregit custodias poena, angustosque per aditus et obstructos non secus, ac per apertas fores et inuitantia limina irrupit. Erat Tiberio imperante frequens et paene
publica

^c) Inst. Orat. Libr. XII. Cap. VII. ^d) Libr. I. Ep. IV.

^e) Panegyrr. Cap. XXXV.

publica accusandi rabies, quae omni ciuili bello grauius togatam ciuitatem confecit. Excipiebantur ebriorum sermo, simplicitas iocantium et quodcunque dictum capite et fortunis luebatur ^f), adeo, vt capitaliter esset, circa Augusti simulacrum seruum cecidisse, vestem mutasse, effigiemque nummo vel annulo impressam, larrinae vel lupanari intulisse ^g). Posuit huic veteri delatorum mandatorumque licentiae, Suetonio ^h) teste, obicem Titus, hos assidue in foro flagellis ac fustibus caesos, ac nouissime traductos per amphitheatri arenam, partim subiici ac venire imperans, partim in asperrimas insularum auehi, et quantopere successorum nonnulli praecipue legitimi principes hanc abhorruerint reipublicae perniciem, ex utroque Codice luculenter appareret.

§. 2.

Iustissimum fuisse hoc omnium honestiorum erga impios delatores, qui vel vindictae studio, vel spe lucri ducti, vel turpi excitati praemio innocentium et vitae

A 3

strue-

^f) Senec. de benef. Libr. III. Cap. XXVI. ^g) Suetonius in Tiber. Cap. LXIII. ^h) in Tito Cap. VIII.



struebant insidias, et opibus inhiabant, odium, nemo
 ibit inficias, sed, qui fuerint hi delatores anquirere, ope-
 rae pretium esse arbitror. Vix fuit tempore liberae Rei-
 publicae et sub primis Imperatoribus accusatoris delato-
 risque diuersa notio, sed deferre et accusare fere pro-
 miscue vsurpabatur, quod luculenter apparet ex l. 15. et
 18. §. 8. D. de iure fisci nisi, quod accusatoris nomine non
 posset insigniri, qui, si crimina publica excipias, rem ad
 fiscum pertinentem nunciaret. Crimina poterat publica
 persequi quisque ex populo, nisi ipsi haec facultas lege
 esset adempta, neque etiam, nisi accusatio saepius ab ali-
 quo susciperetur, aliquid afferebat dedecoris. Sic haud
 raro adolescentes eloquentiae laude ductos, saepius vi-
 ros summae dignitatis honestatisque accusatoris officio
 fuisse functos, constat. Ira Cicero ¹⁾ laudabilior, inquit,
 est defensio, tamen etiam accusatio probata per saepe est.
 Cum vero aduocatos fisci Hadrianus instituerit, nun-
 ciationes fisco faciendae magis a muneris necessitate, quam
 ab hominum pendebant arbitrio. Crimina autem hi
 non

¹⁾ de offic. Libr. 2. Cap. 49.



non deferebant, nisi tamen, quod accusatore non existente, reis opponerentur (accusatores ^k). Dulci igitur lucri odore alliciebantur adhuc priuati ad defendendum et crimina et bona, fisco quaesita, quippe, cum si nunciata probarent, lautis exornarentur praemiis, quarta scilicet parte, quae, ut quadruplatores vocarentur, effecit, sed et hanc delatorum malitiam repressit Constantinus, omnes iudices inuigilare praecipiens, delatores sine fisci aduocato denunciantes, poenis afficere addens, apertissimi enim Iuris est, ut quod ex cuiuscunque patrimonio ceciderit in casum, et legibus et recto iuris ordine fisci aduocatis agentibus vindicetur. Sed quia nonnulli praecipites secundum Ius possessa patrimonia deferre non cessant, damus omnibus licentiam, qui se laesos existimant, contra delatores feueritatem iudicum implorare ferro districtam. Successores priuatas delationes magis magisque cohibuerunt, imo, quae in iure ciuili occurrit, legum feueritas in ipsum, quod miror, ex parte migravit Gratiani decretum. Ita enim *Caus. V. Quaest. VI. c. V.* Hadrianus delatori, inquit, lingua capuletur

^k) Sulpicius Seuer. Sacr. histor. libr. II.



letur aut conuicto caput amputetur. Erant igitur delatores homines, qui rem ad fiscum pertinentem nunciabant. Ita qui crimina, bona caduca, commissa vacantia, thesauros in locis fiscalibus inuentos nunciarent, erant delatores, et, si crimina deferrent, proprio nomine vocabantur accusatores.

§. 3.

Sed multum hodie mutata est rerum facies. Supprescit vsus fori principium, quod Cicero pro Roscio tam acriter defendit, neminem posse sine accusatore condemnari, quod quidem sub Imperatoribus vim amisisse quodammodo videtur. Cessat, quam Iustinianus iam aliquantulum restrinxerat, in damnatis ad mortem publicatio bonorum, crimen si excipias perduellionis, hinc omnino sanguinolenta cessant accusatorum praemia. Quae cum ita sint, et cum facilius crimina persequendi modus in fora nostra irrepserit, processus scilicet inquisitorius, cuius originem et naturam ex Euangelio de villico, iniusto rerum domini administratore, deriuat Innocentius ¹⁾, rariores inter nos sunt accusationes, ad quarum incommoda sub.

¹⁾ Cap. XXIV. X. de accusation.



fubeunda homines nec lucri spe excitantur, nec dignitatibus. Hinc delationis hodiernae et antiquae diuersissima est indoles. Delatores olim seu accusatores, quatenus crimina persequerentur, si nonnullas personas excipias, quibus ideo gratiam fecere leges, per subscriptionem se ad similitudinem poenae obstringebant non probato crimine, debebantque in persequutione, nisi daretur abolitio, perseuerare. Hodie, si vel tanquam accusatores probationem criminis subeant, poena talionis cessat, plerumque vero, nisi, quod indicent, nihil agunt, criminis persequutionem iudici, qui non pro defendendo reo solum laborat, sed accusatoris quasi simul vice fungitur, relinquentes, imo interdum ipsorum nomen in inquisitorio sponte, vel ex legum sanctione ^{m)} silentio praeter-eunt iudices, quod odium erga delatores populare non plane esse placatum, et conditores legum illo homines a deferendo nolle penitus deterreri, probat luculenter. Quod quidem odium, quatenus iustum sit, vel iniustum, discutiendum esse arbitror.

§. 4.

Praecipue vero quid per delatores, vel vulgo denunciantes, vsus loquendi hodiernus intelligat, praestruendum

^{m)} Exemplum est in Edicto contra vindictam priuatam in fine §. 50.



endum erit. Est igitur, quisquis delictum qualecunque eo animo, ut iudex ex officio in delicti veritatem inquirat, indicat, nostris moribus denuncians. Potest haec delatio vel cum nominatione auctoris et suggestione indiciorum fieri, et vocatur vulgo specialis, vel potest iudex certior reddi de delicto perpetrato sine ulla auctoris mentione, v. c. si, quo loco corpus exanime, in quo sint signa mortis violentae conspicua, iacere prostratum, indicetur, quae quidem delatio generalis vocari solet. Utraque iudicem, ut in delicti veritatem eiusque inquirat auctorem, adstringit, neque delatorem, ut caueat vel solenniter probet, vel expensas absoluto reo ferat, poterit compellere ⁿ). Interest sane Reipublicae, ne delicta maneat impunita atque provinciae malis hominibus purgentur. Etenim non tam bene de rebus humanis agitur, ut homines pravi, poenarum si demas terrorem, in obsequio possint contineri, alias omnino et ego quidem crimina magis esse impedienda quam punienda suaseram. Salus vero Reipublicae est suprema lex miseraque esset hominum vita, nisi, quod ipse Deus magistratibus indulsit, publica tranquillitas ultore gladio stabiliretur. Sic

— — — *Immedicabile vulnus*

Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur.

§. 5.

ⁿ) Berger C. I. l. I. Suppl. P. II. p. 235. et p. 533.



§. 5.

Est vero denunciatio, quantum ego quidem video, vnica, si excipias delicta in praesentia iudicis commissa, processus inquisitorii basis. Quanquam enim DD. varias enumerant causas instituendae inquisitionis, omnes tamen eo, vt notitia ad iudicem sit delata, redire certissimum est. Famam sufficere tradunt. Sed ecquid est, quam delatio interdum tecto nomine facta. Indicia haud raro excitare iudicem asseuerant. Sed unde illa argumenta, ex circumstantiis connexis repetita, quibus iudici mouetur de crimine eiusque auctore suspicio, ad magistratum, veniunt, nisi per delationem. Quae cum ita sint, delationes omnino esse summum securitatis publicae fulcrum, eorumque usum neque nimium esse impediendum, neque omnes delatores odium mereri honestiorum commune, prono fluit alueo.

§. 6.

Iniustum igitur omnino est odium erga delatores, qui suam suorumue iniuriam iudici indicant. Neque olim delator erat, qui protegendae causae suae gratia aliquid ad fiscum nunciaret^o). Sic patri raptum filiae indicanti,

B 2

^o) Paulus Rec. Sent. Libr. Tit. VI. l. 38. et 39. D. iure fisci



dicanti, sic furtum passo, furem in iudicio persequenti, sic puellae stupro contaminatae violento, pudicitiae turbatorem deferenti, delatio nulla ratione erit opprobrio, neque etiam contumeliam contrahit ullam, qui minas, iniurias, libellum famosum vel necem patris, propinquorumque defert. Eo enim casu vel olim alias ad accusandum inhabiles fuisse admissos constat ^{p)}). Non enim eiusmodi denunciatio ex invidia, spe turpis lucri, nec ex aliis nocendi studio vel alio quocunque fuit impuro fonte, sed vel ipsam utilitatem publicam, vel propriam tranquillitatem habet pro scopo, neque fines vindictae legum auctoritate munitae egreditur. Eo quidem casu vel Vasallum, posse dominum sine periculo feudi deferre vel accusare, communis est Ictorum opinio.

§. 7.

Aequae a communi contemptu eximuntur, alios qui ex officii necessitate deferunt. Sic iniustum est odium, quo advocatos fisci propter ea, quod, ubi accusatorius processus adhuc frequens est, excitati crimina persequuntur, vel, uti inter, nos felonias vindicant, vel multas extorquent, vel bona fisco nunciant, prosequuntur delictuli.

p) l. 11. D. de accusat.



catuli. In quo enim eorum consistat turpitudine, nulla ratione perspicio. Hi enim homines, nisi officio suo vel sola ex malitia, et ut aliorum delectentur pernicie, abutantur, munere funguntur, quod in inquisitorio magistratus sine dedecore gerunt. Ponunt in eo operam, ut flagitia euitentur per poenarum exempla, scelerati et perniciosi homines e latebris erumpant et Princeps habeat, quae Principis sunt. Sunt igitur perinde ac iudices iustitiae ministri ac custodes, quos, qui saluti fauet publicae, tantum abest, ut oderit, ut potius, quo maior frequentiorque est nocendi occasio, si profint, seueritatemque comitate condiant, illos in pretio habeat optimus quisque. *Lectioe digna est, quam habet Bergerus ²⁾*, quaestio, utrum, qui inferiorem habet iurisdictionem, praedii rusticipossessor, publicum possit constituere delatorem. Eadem nobis Icti celeberrimi placet negatiua sententia et, quam addit, limitatio, iudices paganos et scabinos ad deferendum excessus esse obstrictos. Solent hae personae iudiciales iurisiurandi religione adstringi, ut cuius iniurias, proelia in cauponis, furum vel mendicantium receptionem, vel alia facta quaecunque illicita praefecto vel domino iurisdictionis eiusue actuario se esse delatu-

B 3

ros,

2) El. Crim. Suppl. P. I. p. 135.



ros pollicentur, et si forte, vel per negligentiam, vel ex favore huic non satisfecerint officio, haud raro satis acerbis ipsi coercentur poenis. Quae cum ita sint, quaero, vtrum procul a dementia absit, qui hos homines ob eiusmodi denunciations vi officii oblatas, improbo velit censere odio dignos, vel honestiorum circulo expellere, vel in classem levis notae macula laborantium detrudere. Quis porro sine iniuria chirurgos, qui suspecta vulnera, obstetrices, quae celatae graviditatis, vel procurationis abortus indicia, publicos funerum curatores, qui veneficii suspicionem, portarum custodes vel vectigalium, qui fraudem Principis aerario illatam, nocturnos vigiles, qui seditiosas sceleratorum turbas ex muneris necessitate nuncient, inter turpes collocabit personas.

§. 8.

Possent vel omnes delatores, qui solam ob utilitatem publicam ingrati nunciacionis laborem suscipiunt, ab iniuria vindicare, sed omnino vereor, ne homines scelerati, affectantes curam publicae salutis turpibus indulgeant animi motibus et publico contemptu hucdum retenti, hoc dempto, sine rubore ad deferendum properent. Maneat igitur turpitude eos, qui non ceu pestem fugiant τὴν πολυπραγμοσύνην, sed sponte deferendo aliis nocent.

Calumni.

Calumniatores vero, hanc hominum sententiam, premat infamia publicusque omnium contemptus, ut vita ipsis sit supplicium, mors solatium. Contingunt autem et alii casus, quibus sane delatio nemini poterit vitio verri. Egi-
mus de officii necessitate a macula liberante. Eadem erunt dicenda de iis, quos legum sanctio ad deferendum vel inuitos compellit. Indicandae iam sunt illae a regula; nemo inuitus ad denunciandum obstringitur, exceptio-
nes, quas quidem quantum per virium libellique exiguitatem licebit, anquiram acuratius.

§. 9.

Adest omnino deferendi necessitas, delicti futuri, si quis habeat, notitiam, quod delatione poterit prohiberi^{r)}. Hunc ego quidem non in conscientia solum, ut ita auctoritate iudicis exitum impediatur criminis, esse, adstrictum, verum etiam silentium in foro humano esse poena arbitraria coercendum, arbitror. Scio quidem Leyserum^{s)} in ea versari opinione, iure solum naturae vnumquemque ex delicto alterius, quod scit, et cum prohibere possit, non prohibet, obligari, ius civile vero hunc rigorem temperare, iisque tantum, qui specialiter ad
prohi-

^{r)} Grotius d. I. B. et P. Cap. XXI. §. 2, No. 4.

^{s)} Spec. DXXXIV. med. X.



prohibendum essent obligati, delictum non prohibitum imputari. Generalitatem l. 109. D. d. R. I. quam felicissime a lauchio emendatam esse existimat, non obtare arbitatur, pertinere ipsam, ratus, ad illum edicti praetoris locum, quo pater, qui filium suum viduam inter annum luctus ducere patitur, infamia notatur. Quod ad lauchii emendationem, non haec melior esse illa quae vulgo admittitur, qua scilicet ante verbum *potest*, *non*, inferitur, videtur. Neque enim si substituamus nonnullum, insignis magisque l. 33. de de Fidecommissar libert. consentaneus redditur sensus. Illud enim non, si, quod diu factum est, additur, vi contrariorum lex et habet eandem vim, et cum Pauli ipsius l. 50. Cod. comprehensae sententia, ubi culpa, inquit, caret, qui scit, sed prohibere non potest, mirifice conspirat. Deinde ipse Leyserus *) alio loco iuris ciuilis sanctionem de damno iniuria dato posse ad omnes personas ex ciuili ratione ad prohibendum obligatos, matres familias, duces militum, magistratus extendi, illosque non ad priuam solum satisfactionem obligari, verum etiam poenae subiacere concedit. Sed, quod illaesis tanti viri manibus sit dictum, vel legis sanctiones sunt generales, et quod certissimum est, culpa non

*) Sp. CXII. m. VII.

non carent, qui sciunt non prohibent, cum prohibere possint, et nulla opus est extensione, vel, si speciales sunt poenales sanctiones, nulla possunt extendi ratione. Certe a culpa non est alienus, qui delictum futurum, quod impediri potest, iudici tempestive non nunciat. Sic cum quis aliquem foeminam honestam rapturum esse, insidias alium alius struere vitae sciat, quatenus utrumque facinus poterit prohiberi, ob omissam delationem, quasi pro socio est habendus poenaeque arbitraria dubio procul afficiendus. Daremus ius sceleri, hanc si reliqueremus scientiam impunem atque in reipublicae perniciem liberius omnino criminum exercitium nimia efficeremus indulgentia. Alia est rei facies, si nec per delationem criminis consummatio possit evitari, forte, ob brevius temporis, loci longius intervallum. Finge Caium Vitebergae resciscere, Maeuium cras uxori Dresdae venenum esse propinaturum, Caius perpetrato a Maeuio crimine, vel omissa delatione, sine poena discedet.

§. 10.

Sunt vero nonnulla tam acriter legibus notata crimina, ut, si quis vel iam patratorem habeat notitiam, ob denunciationem omissam, vel poena coerceatur ordinaria vel saltem arbitraria acerbiori. Agmen ducit crimeu per-

C

duel-



duellionis. Nota est non atramento, sed sanguine tincta lex Arcadii et Honorii 5. C. ad L. Iuliam Mai., quae fere integra migravit in auream bullam ^{u)} Expediti omnino iuris est, solum silentium hic omnino puniendum esse ^{v)}. Nolo quidem iam singulos exponere casus, cum ita nimis a scopo aberrarem, neque diuersas silentii enumerare poenas, quae sane prout vel intuitu delicti iam perpetrati, vel nondum commissi, contigit, vel prout vel leuiores tacentis sunt suspicionis momenta, vel grauiora, non possunt esse eadem, id tamen pro certo affirmare ausim, silentium vel praeteriti criminis hic esse puniendum ob l. 5. excitatae et aureae bullae generalitatem. Interest enim hic maxime reipublicae, ne tam pestiferum impunitum maneat flagitium.

§. II.

Succedit crimen blasphemiae, non, ac si leuius perduellione, vel cum Tacito ^{x)}. Dei iniuriam Deo curae, et ita iudices criminis non debere vindices esse, putarim, sed quia leges mitiorem et in delictum et in silentium sanxerunt poenam. Ob tale facinus terrae motus est

^{u)} Cap. XXIV.

^{v)} vid. quae habet Leyserus. Spec. DLXVIII. m. VII.

^{x)} Annal. Libr. I. Cap. LXXIII.



et pestilentias fieri fateatur Iustinianus ^{y)} et inter Iudaeos et ciues ideo et peregrinos ultimo fuisse supplicio affectos ex sacro apparet Codice ^{z)}. Huius quidem criminis sola scientia, iudici si tempestiue non fuerit nunciatum, poenam parit arbitrariam. Numellarum poena est (ecce numellas non solum esse praeparationem et signum iuresdictionis criminalis, quod contendit Berger ^{a)}), sed veram poenam) blasphemia si sit emissa immediata, mediata si sit, poena carceris vel multa ^{a)}. In hoc igitur delicto omissa denunciatio, qua quidem non poterat impediri exitus, punitur.

§. 12.

Punitur porro silentium in eo, qui noticiam auctoris libelli famosi contra ipsum Principem, vel eius summos administratos, diuulgati, habuit, neque illum iudici detulit. Poterit, si antea nactus est scientiam, remque occultauit, nec impediuit, poena capitali vel corporis afflictiua affici, nec tamen omnem effugiet poenam, si

C 2

vel

y) Nou. LXXVII. Cap. I. §. I.

z) Leu. XXIV. v. XII.

a) Elect. Crim. p. 20.

a) vid. Ord. pol. de an. 1661. Tit. III. §. 2.



vel auctorem perfecto iam crimine non detulerit. Ex-
 presse notatur silentium edicto d. 7. Febr. an. MDCCL. ^{b)}
 emissio verbis: Darum wissen, und davon gehörigen
 Orts nicht die gehörende pflichtschuldige Anzeige thun,
 Item des bisherigen Stillschweigens und Verheimlichung
 ungeachtet. Possit forte quaestio moueri, num haec san-
 ctio ad omne pertineat territorium, partim cum illa so-
 lum Dresdae fuerit affixa, partim cum in introitu crimi-
 nis eiusmodi Dresdae perpetrati fieret mentio. Certe,
 quantum ego quidem video, haec momenta parum excu-
 sabunt illum, qui auctorem pasquilli eiusmodi, non de-
 tulerit. Innotuit sanctio haec in contextu omnino ge-
 neralis per promulgationem Codicis Augustei omnibus,
 neque ignorantia poenae ad ipsius mitigationem, si factum
 per se ex sana ratione est punibile, vlli prodest.

§. 13.

Adest deinde deferendi necessitas in iniuriis et duel-
 lis, impio illo, imo absurdo reparandi iniuriam medio.
 Non enim solum ad talem conflictum excitatus, nisi
 deferat, poena carceris per quatuor menses coërce-
 tur, quamuis duellum plane non sit infecutum ^{c)} verum
 etiam

^{b)} C. A. C. Th. I. 163.

^{c)} Generale wider die Selbst Rache, §. 33.

etiam alii, praecipue caupones *Haush- und Tisch Wirtze*,
Traiteurs, Coffeé- und Theé-Schenken, ad denunciandum
prouocationes, nisi velint, caupones in poenam
carceris per semestre spatium, reliqui in poenam arbi-
trariam incurrere, obligantur, simulque ad indicanda du-
ella, repentinis conflictus, (*Rencontres*) iniuriasque
reales ac verbales praemiis excitantur. Vt ne vero ho-
mines improbi ex malitia ad calumniandum inuitentur,
delatores, qui specialem eamque falsam exhibuerint de-
nunciationem, poena talionis cum condemnatione in ex-
pensas esse afficiendos, §. 50. laudati edicti sancitum legi-
tur. Hac poena coercetur procul dubio silentium, siue
duellum sit peractum siue non, neque sane liberatur a
poena, qui denunciantem animo iniuriandi delatorem
vocauerit, qualem appellationem iam olim inter iniu-
rias collocauit Gordianus ^{d)}. Delationes enim, vti
in reliquis delictis, vbi praemiis ad denunciandum in-
uitantur homines, ob vtilitatem publicam, et mente
summi Legislatoris non sunt impediendae, sed sane ad-
iuuandae. Diferte hoc indicatur §. illa 50. verbis: *Da-*
mit aber auch die Denunciations desto mehr befördert
werden.

d) l. 3. C. de iniuriis,



§. 14.

Respublica pro numero ciuium colonorumque vel felicior robustiorque, vel imbecillior est. Hinc ipsius maxime interest, ne regiones emigrationibus deuastrantur. Est igitur species necessariae denunciationis, si quis notitiam habeat, subiectos Saxoniae ad emigrandum excitari. Coergetur semestri carcere silentium, per edictum d. 21 Aug. MDCCLXIV. §. 6. et hanc poenam manere vel illos, qui delictum iam consummatum non detulerint, arbitramur. Sufficit hic sola sciencia. Non enim, vt forte ciuium corruptoribus aliquod tulerint subsidium, necessarium est. Qui enim in hanc ingressi sunt criminis societatem, ergastulo vel opere publico ad quinquennium per §. 4. puniuntur.

§. 15.

Ob eundem salutis publicae, quae prima lex est, fauorem, silentium punitur in eo, qui notitiam nactus de incendio doloso incendiarios non defert, neque, vt isti perniciosissimi homines manibus iustitiae exhibeantur, fert opem. Est sane summum in hoc crimine publicae securitatis periculum. Excitantur interdum a sceleratis impio vindictae studio, ductis, vel animo furtum facien-

faciendi, flammae, non ut tota pereat vrbs, sed ut exitio inimici vel delectentur, vel ut, cum diuitiae possessoris exportentur, tutam habeant auferendi occasionem. Sed ecce ignis nullos agnoscit limites. Perit saepenumero vrbs integra, vel vastis saltim deformatur ruinis. Pereunt aedificia, pereunt opes, miseri pereunt ciues ad auxilium adcurrentes. Facit insignem iacturam Principis aerarium, neque vllum paratum est tot calamitatibus solatium. Tanta societatis humanae ut euitetur pernicies, omni studio laborandum esse visum est legislatori Potentissimo e). Hinc summa, eademque aequissima hoc ipsum coercetur poenarum atrocitate crimen, ita ut nec minor aetas, nec consummato delicto poenitentia, nec dominium combustae domus, nec dignitas, nec praescriptio, nec denique summa ira proffit, nec gratia Principis ob vllam intercessionem sit expectanda, potius ob criminis repetitionem augmentum poenae per impositionem trahae ac forcipum candentium applicationem immineat. Sic, si quis homines induxerit prauos, ad faciendum incendium, consummatum delictum et in locatore et in conductore igne, conatus gladio punitur. Quid igitur mirum in tam pestifero delicto, cuius auctores nunquam sine salutis publicae periculo libere vagantur delationem
prae-

e) vid. Edictum contra incendiarios die XVI. Nov MDCEXLI.



praemiis excitari, silentium acerba notari poena. Pun-
niuntur per §. 4. laud. edicti, ad quos defertur noticia,
si factum tempestive iudici non nunciant, pro arbitrio
poenis acerbis corporis afflictivis, vel operis publici vel
ergastuli, neque hanc effugient poenam arbitrariam, qui
delationem omiserint, perpetrato iam crimine.

§. 16.

Ex his, quae hucusque enumeravimus exemplis
mens nostra, nimirum quatenus odium erga delatores
populare reputemus iniustum, luculenter apparebit, qui-
bus addendum esse arbitramur, nullum, posse sibi conci-
tare odium, qui non persequatur delicti auctorem, sed
modo generaliter delicti patrati indicia iudici de-
fert, veluti, qui forte intantem sanguinolentum in
flumine vel loco inconsueto esse inuentum vel sacrilega
manu esse vasa sacra abrepta indicat. Esset sane iniu-
stum odium, imo publica erga delatores ingratitude, si
hominem, qui ut proprias poenas effugeret, utque rei-
publicae auerruncet pestem, detulit, dubiae famae esse
crederemus, Est iniustum, quo profanum vulgus dela-
tores, quos ex muneris necessitate denunciare oportet,
prosequitur. Est tandem iniustum, quod incurrunt, qui
suam suorumque vindicant iniuriam.



Wittenberg, Diss., 1774-76



f

Sb.





20
6 1/2

Q. D. B. V.
DISSERTATIO IURIDICA
DE
ODIO ERGA DELATORES
SAEPENVMERO INIVSTO
QVAM
PRAESIDE
**IOANNE CAROLO GEBHARDO
REINHARDO D.**

IVRIS FEVDALIS IN ACADEMIA VITEMBERGENSI PRO-
FESSORE PVBLICO ET FACVLT. IVRID. IVDICHIQVE
PROVINCIALIS IN MARCH. LVSAT. INFERIORI
ASSESS. ORDIN. ILLIVSQVE H. T. DECANO

DIE XVI. IANVAR. MDCCCLXXVI.
H. L. Q. C.

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR.
CAROLVS HENRICVS IACOBVS LOVV
DRESDENSIS.

VITEMBERGAE
LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII
ACADEMIAE A TYPIS.

